



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Ioannes Baptista. 24. Iunij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

ta tua? Quanto amplius tibi ipsi nunc parcis & carnem sequeris, tanto durius postea lues. & maiorem materiam comburendi servas. In quibus homo peccavit in illis gravius punietur. Thom. à Kemp. l. 1. c. 24.

S. IOANNES BAPTISTA. 24. Iunii.

IOANNES melioris Solis melior Phosphorus ortis sui nuntium Angelum habuit. Ipse in matre iam sanctus, vix natus est, cum mutum parentem loqui oracula infans fecit. Patriam domum cum cremo mutavit, & cibum locustas ac mel agreste, vestem cameli exuvias habuit. In anno Tiberii imperantis XV. viam CHRISTO munite exorsus, non tam verbis, quam vitã ad pœnitentiam scelerum hortatus mortales, animorum lavacro initium dedit, quod ipsum Servator sanctius tactu suo reddidit. Hunc ille itaque mundo Agnum ostentare, ad hunc è scholã suã discipulos rectius erudiendos amittere, & jam indignum se putare ad cuius vel ultimum servitium descenderet. Sed nimirum se ipso major, sacris etiam varibus omnibus prelatas, & secundus à CHRISTO ab ipsomet CHRISTO est proclamatus. Et tamen tam charum cælo caput Herodes saltatriculæ filiæ pedibus donavit, & crudelibus oculis pascendis mensæ etiam inferri voluit. Itaque tunc, si unquam aliàs, lautè cœnavit gula. Quæ enim mensa tam nobile caput habuit? Ex Hist. Evan.

Ioannes sanctus homo missus à Deo, imò Angelus Dei innocentissimum illud corpus sic castigat, sic extenuat sic affligit, vos indui festinatis bysso & purpurâ, & splendide epulari. S. Bern. serm. de Nat. S. Ioan.